Q 6

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

SISTENS

CONSPECTVM MORBORVM A. MDCCCXXVIII. AD IX. VSQVE IN SCHOLA POLICLINICA CVRATORVM.

QVAM

IN VNIVERSITATE LITERARVM LIPSIENSI

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

D. CAROLO GOTTLOB KVEHNIO

PROFESSORE PHYSIOLOGIAE ET PATHOLOGIAE PVBL. ORD. ETC. ETC.

FACVLT. MED. LIPS. H. T. DECANO

PRO SVMMIS

IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS

RITE CAPESSENDIS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONCESSV

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XXX. M. APRILIS A. MDCCCXXX.

PVBLICE DEFENDET

FRIDERICVS IVLIVS BARTHEL

DRESDENSIS

MEDICINAE BACCALAVREVS.

LIPSIAE

LITERIS STARITZII, TYPOGR. ACADEM.

VIRIS

EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO DOCTISSIMO

CAROLO AVGVSTO KVETTNERO

COLLEGII VECTIGALIVM REGII DRESDAE DEFENSORI

PRAETORIO

ET

AVVNCVLO OPTIMO ET CARISSIMO

IOANNI AVGVSTO ARNDTIO

MERCATORI DRESDENSI

HOC OPVSCVLVM

PII ET GRATISSIMI ANIMI TESTIMONIVM ESSE

VOLVIT

AVCTOR.

PRAEFATIO.

Nihil mihi, de argumento dissertationis inauguralis, quam leges academicae ab iis, qui ad summos honores artis medicae rite obtinendos adspirant, expostulant, cogitanti, iucundius contingere potuit, quam ut a VIRO EXCELLENTISSIMO D. CERVTTIO, Anat. pathol. P. E. et scholae policlinicae duce, praeceptore meo summopere venerando, ad ea quae cum sub anni 1828 exitum, tum sub anni 1829 initium in instituto policlinico gesta observataque fuerint, publico adspectui exponenda incitarer. Cum brevi igitur suburbii Ioannei topographia, ex qua, quae incolarum sanitati nocent, felicique morborum curationi obstant, intelligi potest, initium faciam. In qua multa esse, de quibus copiosius disserere, multa, quae addere potuissem, ingenue fateor, at vero veniam mihi daturum esse Lectorem Benevolum, spero atque confido, ubi meminerit, arctos huius speciminis et angustos esse limites. Quae vero inprimis in descriptione ista eminet, eamque maxime ornat, aquarum disquisitio chemica tam laboriosa quam praeclara, eam non possum non, quin gratissimus ad VIRVM EXPERIENTISSIMVM O. B. KVEHNIVM, tanquam eius auctorem referam.

Eandem ut sequar brevitatem in conspectu morborum, eorumque cura tradenda, nec aliud quid, quam quod a policlinicis observatum, atque in usum vocatum sit, res ipsa, aeque ac angustum huius opusculi spatium postulat.

Prius autem, quam ad rem ipsam accedo, VIRO EXCELLENTISSIMO D. CERVTTIO ut gratissimi animi sensus publice declarem, pietas erga VIRVM EXPERIENTISSIMVM efflagitat, qui summa cum humanitate, ac benignitate non omnia solum, ad hanc dissertationem recte conscribendam necessaria, benevole ac liberalissime mihi suppeditavit, sed assiduus quoque studiorum meorum fuit moderator. Nihil magis curae cordique habebo, quam ut Deum Optimum Maximum, precibus ardentissimis implorem, ut valetudinem eius semper sartam tectamque esse iubeat, eumque omnibus bonis, quae felicitatem humanam efficere putantur, cumulare velit.

SECTIO I.

Brevem suburbii Ioannei desriptionem ante omnia exhibendam esse putavi, ut, quinam morbi in universum ab instituto policlinico inde a mense Octobri anni 1828 ad Decembrem usque 1829 ibi curandi fuerint, quo quilibet numero occurrerit, quem decursum tenuerint, quam curandi rationem secuti fuerimus etc., accurate intelligatur. Namque alia erit morborum ratio et numerus, quando plures conveniunt res externae, quae sanitatem vario modo laedere possunt, aliaque curatio et difficilior erit, cum non solum morbo, sed istis etiam obviam eundum sit. Istas res externas tam nociferas partim in *situ* suburbii et *soli* natura, partim in *habitationibus*, et *vitae ratione* et consuetudine positas esse deprehendemus. Hic tamen ea solum, quae ad morbos recte censendos, eorumque curationem pertinent, commemorabimus.

Pars suburbii Ioannei, instituto policlinico ad ibi obvios morbos curandos commissa, ad meridiem sita est, et, si cum suburbio Grimensi et Petrino comparetur, multo profundior. Offeruntur ad orientem et meridiem agri et fodina arenaria, ad septentrionem platea Vlrica et horti, occidentem versus area materiaturae destinata.

Ea Australibus praecipue, minus tamen ventis a Septentrione, Vespera et Oriente flantibus exposita est. Proxime tamen illi parti, ad orientem ac meridiem sitae, ne quid omittam, quod quominus noxiam in sanitatem incolarum vim habeat, nemo dubitabit, con-

spicimus apertam fossam, moeniis solum a domiciliis separatam, atque piscinam, vel potius stagnum, omnibus cloacis aliave derivatione deficientibus, sordibus repleta. Neque Magistratus Lipsiensis, cui salus civium maximopere cordi est, penitus potest impedire fossam istam atque paludem, nec minus ipsas plateas sedulo purgando, quominus istud stagnum nonnunquam aestatis potissimum tempore foedissimos spargat vapores, aëremque corrumpat.

Domus in solo arenoso, ibi enim scimus ex annalibus urbis nostrae olim fuisse arenariam, exstructae, sunt caducae et propter cubiculorum angustias et humilitatem ut plurimum insalubres. Huc accedit, quod 2036 incolae, per domus 70 distributi, angustias istas augeant: quin etiam passim duae, imo tres familiae in eodem cubiculo degunt, saepenumero fumo, noxiisque vaporibus ita repleto, ut vel sanissimo cuique, praecipue vero pectore infirmo laborantibus tussis excitetur: quod quo tandem ducat, quis non videat?

Nihil, quod quippe a levis structurae domibus haud abesse solet, de fenestris dicam, nihil de foribus, minoribusque conclavibus vel potius cellis in summa parte, ac sub tegulis aedium exstructis, coeli intemperiei ac vento ubique patentibus: eiusmodi habitationes utrum aestivo tempore, cum aestus solis gravissimus est, an hyeme, tempestate frigidissima magis noceant sanitati, ambiguum est. Et re vera tristem hanc, quam adumbravi, domiciliorum imaginem eorum, qui ea incolunt, habitus aequare solet. Idque non mirum est; namque praeter domuum possessores, ibi operarii varii generis degunt, gravi labore victum quotidianum sibi parantes, et quamvis, civium opulentorum benevolentia pauperrimis quibusdam alimenta, lignum, vestimenta, medicinam, et quae sunt reliqua suppeditat, in tanta tamen egenorum multitudine nequaquam cuique succurri potest, quam ob causam multi laceris et sordidis

vestimentis die induti incedunt, noctu stramento saepe humido incumbunt; et praeter victum tenuem et parum salubrem, praeter potum, quem coffeam nominant, tubera solani et panem, quibus quotidie utuntur, nihil habent, quo corporis vires exhaustas instaurent recreentque. Quod vero pessimum est, multi largo spiritus frumenti usui, quo sese exhilarare et pessimae conditionis, qua premuntur, oblivionem in animum inducere student, adsueti crapulam saepe contrahendo in delirium tremens, dirum morbum, incidunt. Ab his causis constitutio scrophulosa et atrabilaria, corpus male nutritum, ac habitus cachecticus pendent, quibus, cum morbus aliquis supervenit, peior ipsius natura et periculosior fiat, necesse est. Hinc inprimis tempore vernali et autumnali affectiones rheumatico - catarrhales, hyemali arthritis, quae ne infantibus quidem parcit, frequenter occurrunt, per totum autem annum febres intermittentes, cachexiae, scrophulae, helminthiasis (taenia et ascaris lumbricalis), tineae et phthises grassantur. Ceterum homines isti debiles sunt, eamque ob causam ad graviores labores suscipiendos parum idonei.

Haud levis insuper nobis erat suspicio, aquam puteorum, qualis non ibi solum, sed in reliquis etiam Lipsiae vicis bibitur, sanitati nocere ac praesertim scrophulis, aliisque cachexiis dare originem, id quod analysi chemica, benevole nobiscum communicata, ut huic libello nostro adiungeretur, minime confirmari videtur:

Omnium puteorum aquae eadem fere ratione examinatae sunt, et secundum experimenta de earum mixtione accurate instituta partes eas constituentes hae esse videntur:

1) *Acidum carbonicum liberum.* Cuius sufficiens quantitas adest, ut carbonatibus difficulter, aut plane non in aqua pura solubilibus menstruum praebeatur. Praecipitatum enim, quod aqua calcis efficit, aegre ab aqua recenti recipitur.

2) *Carbonates* iique *calcicus*, *magnesicus*, *manganicus*, atque *ferrosus*. Dum aquae analysi subiiciuntur, carbonates kalicus aut natricus alkalina reactione sese produnt; quos analysi chemica productos esse paulo post demonstrabitur. Illi carbonates autem, in aqua pura non solubiles, liberi acidi carbonici ope, uti iam dictum est, soluti, coctione satis prolongata penitus deiecti, praecipitatum plus minusve flave tinctum formant, quod sub effervescentia viva et continua fere totum ab acido nitrico solvitur, remanente pulvisculo nigro aut atro, qui in cochleari platineo ignitus brevi colorem candidum assumit, et licet ab acidis spernatur, a carbonate tamen natrico totus solvitur. Solutio nitrica ammonio caustico saturata, praecipitatum ferruginosum suppeditat; liquor vero ab hoc praecipitato celerrime liberatus, mox pulverem atrum et subtilissimum deponit, qui nihil aliud quam hyperoxydum manganosum (Oxydum manganicum Gmelini) esse potest. E liquore, sufficienti aquae copia diluto, oxalas ammonicus copiosum idque candidum praecipitatum deiicit. Quo filtri ope separato liquor evaporatus residuum praebet, quod sub leni ignitione nunc penitus, nunc paucis particulis relictis in auras abit.

3) *Sulphates*. Hi in minore quantitate aquis examinatis insunt.

4) *Silicates*. Acidum siliceum ab aqua solvi posse, Berzelivs contendit, qui et illius maximam copiam in aqua acidula prope thermas Carolinas absque baseos alicuius interventu contineri reperit. Nec minus ab eodem chemico relatum est, huius acidi pauculum in quacunque fere aqua fontana adesse. Plurimum tamen abest, ut huius acidi status liber uspiam assumi queat; imo potius is ipse saepissime in dubitationem vocari potest. Iam Strvve acutissime observavit, oxydum illud ferri, quod in thermis Carolinis continetur, acido siliceo nuptum esse; id quod experimentis

cum aqua, quae e puteo in aula Krügeri prope portam vallis rosarum hausta nunc denuo examini subiecta est, vario modo institutis confirmari videtur. Nam praecipitatum, quod per coctionem fundum vasis petit, colorem prae se fert sordide flavum, non puri hydratis ferrici cum magna albi pulveris (carbonatum variorum) quantitate mixti, sed refert potius colorem salis cuiusdam basici, uti hypophosphatis aut hyparsenatis. Ab acido hydrochlorico hoc praecipitatum totum solvitur, et liquor lege artis evaporatus gelatinam format, qua acidi silicici praesentia certissime comprobatur. Pulvis, qui humore per calorem penitus dissipato restat, ab acido hydrochlorico diluto floccis facillime excipitur ita, ut non nisi flocculi gelatinosi et sordide albi remaneant. Etsi de vera acidi silicici cum oxydo ferri coniunctione fortasse dubitari possit, nemo tamen silicatem adesse negare poterit.

5) ***Phosphates.*** Semel tantum vestigia eorum levissima in conspectum venire visa sunt. Quorum in his aquis praesentia si extra omnem dubitationem poni debet, experimenta maiori cum quantitate aquae instituenda sunt, id quod temporis angustia impedivit.

6) ***Nitrates*** frustra quaesiti sunt, etiamsi eorum formatio ob loci opportunitatem verosimilis sit.

7) ***Humates (Humussaure Salze).*** Acidum humicum, quod Sprengel experimentis aptis quidem, neque tamen penitus sufficientibus examinavit, in aqua omnium puteorum, quorum natura nunc temporis investigata est, occurrere videtur. Residuum enim aquarum evaporatarum flavum colorem habet, et cum aqua frigida tincturam dat plus minusve fuscam, quae minime alkalium more chartam probatoriam afficit; forti autem calore semel vel pluries evaporata residuum praebet, quod sat conspicue curcumae colorem fuscat, et acore quodam addito vivide effervescit. Ex his acidum humicum praesto esse concluditur; et basis, cui nuptum est, calcaria aut kali habetur.

8) *Chlorida.* Haec maxima inter omnes reliquas partes proportione in hisce aquis inveniuntur, et chloridum natricum et calcicum esse videntur. Licet vero residuum aquae provide siccatum celerrime ex atmosphaera humorem attrahat, ex aquosa tamen tinctura residui oxalas ammonicus nonnisi vestigium calcis indicare solet. Quatuor puteorum aqua solummodo analysi subiectae sunt, ita ut partes lance determinarentur. Quae ex his experimentis deducta sunt, congesta in hac tabula conspicit lector.

	No. II. (ad murum areae materiaturae.)	No. III. (ad domum No. 1395.)	No. IV. (ad aream campanariam *Glockengiesserplatz.*)	No. V. (ad portam fodinae arenariae.)
Mille aquae partes dederunt evaporatione facta residuum ponderis	1,122.	1,371.	1,273.	0,933.
Cuius residui erant in aqua pura solubiles partes.	0,561.	1,032.	0,628.	0,622.
In hac solutione aquosa inveniebantur				
Chlorinae partes	0,241.	0,331.	0,147.	0,185.
Oxygenii portio aequivalens Chlorinae repertae detrahenda est basium summae aut etiam extemplo Chlorinae ipsi	0,054.	0,075.	0,033.	0,042.
Acidi sulphurici pp. . .		0,084.	0,087.	0,048.
Kali	0,040.		0,039.	
Natri	0,232.	0,360.	0,219.	0,340.
Substantiae organicae .	0,048.	0,663.	0,169.	0,081.
Ab aqua non soluta pars, methodo supra relata, resolvebatur in has partes				
Carbonatis calcici . . .	0,323.	0,339.	0,400.	0,213.
— magnes. . . .	0,072.	vestigia.	0,136.	vestigia.
— mangan. . . .	0,049.			
Oxydi ferrici	0,050.		0,051.	0,042.
Acidi silicei	0,051.		0,054.	0,056.

Puteus No. VI; aqua eius congelata investigari nondum potuit. Puteus No. I prope domus septem sic dictas nihil ab aquis reliquorum puteorum diversi praeter substantiam organicam, quae aquam putridam reddit, nobis praebuit. Quominus tamen accuratius examinatus sit et temporis angustiae et frigus impediverunt; ceterum hac aqua ob eius foetorem nemo utitur. Aqua putei No. V, pariter atque puteorum No. II, III et IV adhibita analysi chemica, pura et salubris reperta est. Sed plura de his alio loco.

Coelum Lipsiense, de quo iam pauca quaedam monenda sunt, testibus medicis, nebulosum et pluviosum, nisi pluviae diu nimis continuent ventique frigidi simul sint, tantum abest ut noceat sanitati, ut potius prosit. Quam quidem rem institutum policlinicum morborum numerum quovis mense indicando, et cum coeli ratione comparando, confirmavit. Natura hominum tempestati turbidae diu perseveranti adsuescere, a perpetua contra vicissitudine maius detrimentum ferre videtur. Hiemale tempus ab Octobri mense 1828 ad initium anni 29 usque in universum solito asperius, ver atque aestas pluviosa ac nebulosa secutae sunt, auctumnus ab his non discrepavit; hiems anni 1829 ad 30 usque praematura aeque ac frigida praecipue. Affectiones rheumatico-catarrhales, quibus non solum in nostro suburbio, sed etiam in reliquis urbis partibus status nervosus haud raro supervenit, genium epidemicum constituerunt.

SECTIO II.

CONSPECTVS MORBORVM VNIVERSALIS.

I. Febres.	Viri.	Mulieres.	Vsque ad X annum	
			Pueri.	Puellae.
Febris vulneraria		1. a morsu felis		
— catarrhalis	4. simpl. 1. c. tumore parotidum.	4. simpl. 1. c. menostasia	6. simpl. 1. c. affectione cerebri et pectoris	6. simpl. 1. c. scrophulis 1. c. diarrhoea 1. c. affect. pectoris 1. c. hydroceph.
— puerperalis		1.		
— rheumatica	4. simpl. 1. rh. catarrh. c. affect. pectoris. 1. c. coxalgia.	4. simpl. 1. rh. catarrh. c. statu nervoso. 1. rh. catarrh. c. arthritide. 1. rh. catarrh. c. pleuritide. 1. rh. catarrh. serius nervosa. 1. rh. catarrh. (puerpera.) 1. rh. biliosa. 1. rh. gastrica. 1. rh. nervosa.	1. simpl. 1. rh. catarrh. 1. rh. catarrh. c. affect. cerebri serius f. int. quotid. 1. rh. catarrh. nervosa (c. prolapsu ani)	1. rh. catarrh. c. pleuritide.

I. Febres.	Viri.	Mulieres.	Vsque ad X. annum Pueri.	Vsque ad X. annum Puellae.
Febris gastrica	1. simpl. c. haemorrh. 1. g. catarrh. 1. g. rheumat. 1. gastr. biliosa serius apoplexia. 1. g. biliosa c. erysipelate faciei.	1. simpl. 1. c. vermib. ascarid. 2. g. catarrh. 1. g. rheumat. c. cardialg. 1. g. biliosa.	2. g. catarrh. 1. g. catarrh. c. insultib. epileptic. 1. g. rheumat.	2. simpl. 1. g. catarrh. 1. g. catarrh. c. catarrh. suffocat.
— biliosa		1. simplex.		
— intermittens	5. quotid. 1. quot. recid. 7. tertianae. 1. tert. infl. 1. quartana. 1. tert. dupplic.	6. quotid. 19. tert. 1. tert. recid. 1. tert. s. quart. 1. tert. gastr. 1. tert. infl. 1. tert. c. fluore albo. 1. tertian. c. ictero.	3. quotid. 1. quotid. infl. 8. tertianae. 1. tert. recidiv. 1. tertiana c. ictero.	2. quotid. 10. tertianae.
— nervosa				1. simplex.
Status gastricus	4. simpl.	5. simpl. 1. c. vermibus. 1. (puerpera). 2. g. catarrh. 2. g. bilios.	3. simpl. 2. g. catarrh.	3. simpl.
Indigestio				2.
Status biliosus		1.		
— pituitosus		1. 1. s. febr. pituitos.		

I. Febres.	Viri.	Mulieres.	Vsque ad X annum Pueri.	Puellae.
Sensatio febrilis		1. (gravida.)		
Delirium tremens	6.	2.		
II. Inflammationes.				
Encephalitis			1. c. spasmis a vermibus s. febr. interm. tert.	1. c. dentitione difficili.
Pneumonia	5. 1. c. contus. pectoris a lapsu.	1. 1. neglecta.	1. notha.	1.
Affectio pectoris	1. c. rheumat. 1. simpl. 1. c. haemorrh.	1.		
Congestio pectoris		1.		
Diaphragmatitis	1.		1.	
Gastritis		1.		
Enteritis	1.			
Dysenteria	1.	1. rheumatica.		
Diarrhoea	2. simpl. 1. chronica. 1. ex abus. spirituos.	1. c vermibus lumbricalib.	10. simpl. 1. dysenterica. 1. c. catarrho. 1. c. dentitione difficil.	2. simpl. 2. c. atrophia 1. c. spasmis.
Hepatitis	1. a. suppress. febr. interm. tert. 1. c. pleuritid.	2. 1. chronica.		
Affect. hepatis		2.		

II. Inflammationes.	Viri.	Mulieres.	Vsque ad X annum Pueri.	Vsque ad X annum Puellae.
Splenitis	1.			
Oophoritis		1.		
Rheumatismus	2. 1. c. pneumonia. 1. colli. 1. c. arthritide. 1. ventricul. 1. vesicae c. marasmo senili. 1. chron. 1. chron. humeri.	3. 1. genae. 2. capitis. 1. pleurae et periton. c. f. int. quart. 1. pedum. 3. chron. 1. — brachii. 1. — faciei. 1. uteri c. suppress. mensium.		
Ischias		1. nervosa.		
Hemiplegia rheumat.		1.		
Coxalgia	1. a lapsu.			
Pleuritis	3. 1. c. pneumon.	4. 2. spuria.	1. rheumatic.	
Peritonitis	1. c. affect. pect.			
Catarrhus	5. 1. chron.	4. 5. chron.	3. 1. trachealis. 1. tussis catarrh. 1. c. desc. test. utriusque.	2. 1. c. atrophia et encephalocele. 1. tussis catarrh.
Angina	1. tonsill.	2. catarrh.	1. catarrh. c. apophysi et aphthis.	1. catarrhalis.

II. Inflammationes.	Viri.	Mulieres.	Vsque ad X annum Pueri.	Vsque ad X annum Puellae.
Erysipelas		1. ad manum. 3. faciei.		
Inflammatio	1. manus.	1. mammae (gravid.) 2. mammae.		
Dentitio difficilis			4.	4. 1. c. affect. pector.
III. Cachexiae.				
Marasmus senilis	1.			
Atrophia			3. 1. c. hydroc. chron. et tinea. 1. c. diarrhoea.	7. 5. c. vermib.
Debilitas			1.	
Phthisis	2. incipient. 6. ulceros. 1. tuberculos. 1. pituitos. c. polyp. nasi. 1. laryngea.	1. incipiens. 3. ulcerosae. 1. ulc. c. cardialg. 6. e vomica. 1. pituitosa.		1. ulceros. 1. scrophulos.
Catarrh. suffocativ.				1. a neglecta pleuritide.
Cachexia univers.		1.		
Helminthiasis	1. lumbric. c. statu pituit.	1. taenia solium.	1. taenia. 3. ascarid. 1. asc. s. hydroceph. 4. lumbric.	2. ascarid. 1. asc. s. ped. gelu usti. 1. asc. c. scrophul. 1. asc. s. hydroceph. ac. (steatom. cereb.) 1. asc. c. taenia. 5. lumbric.

III. Cachexiae.	Viri.	Mulieres.	Vsque ad X annum Pueri.	Vsque ad X annum Puellae.
Hydrops	1. univers. 3. ascites. 1. asc. acutus. 4. thoracis.	1. univers. c. phthisi ulc. 1. ascit. 1. asc. ab hep. 1. thoracis.	1. anasarca a scarlatina. 1. cerebri acut. 1. — chron.	2. cereb. acut. 1. — chron. c. statu pituitos.
Syphilis	1. inveterata.			
Scrophulae			4. 1. c. atrophia. 1. c. tinea.	4. 1. c. tinea. 1. c. rhachitid.
Ophthalm. scrophul.		2. 1. rheumat.	3. 1. c. destruct. corneae. 1. e laesione.	2.
Blepharophthalm.			1. c. scrophul. 1. simpl.	1. simpl. 1. c. atrophia. 1. s. febr. int. tert.
Stomacace			2.	1. c. vermibus.
Cancer aquaticus				1.
IV. Profluvia.				
Haemoptoë	2.	2.		
Haematemesis	1. c. statu nerv.	1. e nisu.		
Haemorrhoides	1. coecae. 1. vesic. c. calcul. susp. 1. c. aff. rheum.			
Metrorrhagia		3. 1. c. steatomat. uteri.		

IV. Profluvia.	Viri.	Mulieres.	Vsque ad X annum	
			Pueri.	Puellae.
Leucorrhoea		1. benigna.		1. benigna c. scrophulis.
Cholera	1.			1.
Enuresis	1. congenita.			
V. Retentiones.				
Obstructio alvi		1. (puerpera.)	1.	1. c. aff. cerebr.
Indurat. hepatis	1.			
Icterus			1. 1. s. febr. int. tert.	
Plethora abdom.	1.	7.		
Ischuria		2. rheumat.		
Arthritis	1. s. phthisis. 1. c. haemorrh. vesicae.	3. acut. 2. chron. 2. vagae. 1. capitis. 1- atonica.		
VI. Nevroses.				
Hemicrania		2.		
Cardialgia		6. 1. varicos. 1. varic. c. ulc. oris.		
Pyrosis				1.
Colica	1. saturnina.			1. verminosa.
Amaurosis		1.		

VI. Nevroses.	Viri.	Mulieres.	Vsque ad X annum: Pueri.	Vsque ad X annum: Puellae.
Imbecillit. animi	1. e vena port.			
Spasmi	1. tetan. a vermib. lumbr.		6.	1.
Asthma humid.	1.	1. c. susp. hydroth.		
Vomitus		1. ab indurat. pancreatis.		
Tussis convulsiva			7.	2.
Hysteria		2. 1. c. peritonit.		
Epilepsia		1.		
Vertigo	1.			
Apoplexia	1. nervos. 1. sanguinea.			
Catarrh. suffocat.				1. a neglecta pleuritide.
Hemiplegia		1. rheumatica.		
Chorea St. Viti				1.
VII. Exanthemata.				
Urticaria			1.	
Varicellae		1.	7. 1. c. affectione cerebr.	7. 1. c. prolapsu ani.
Scabies	2. sicc.	1. sicc. 1. humid.	2. sicc. 1. c. tinea.	2. sicc. 1. retropulsa.
Tinea	1. capitis. 1. c. scroph.	3. capitis. 1. c. scroph.	11. capitis.	14. capitis.

VII. Exanthemata.	Viri.	Mulieres.	Vsque ad X annum Pueri.	Puellae.
Crusta lactea				2.
Aphthae				2. 1. c. aff. pect.
Herpes	2.	1.	1. scrophulos.	1.
Impetigo		1.	1.	
Strophulus			2. 1. c. scroph.	
Maculae venereae				1.
VIII. Morbi ad chirurg. pertinentes.				
Vulnera		1. ad digit.	1. ad manum.	
Contusio	1. pedis.		1. brachii.	1. manus.
Affect. genu	1. a lapsu.			
Partes gelu tostae	1. pes.	1. pes. dextr. 1. pedum. 1. manus.	1. pedum.	1. manus. 1. perniones.
Tumores		1. pedis. 1. scrophul. ad mamm. 1. rheumatic.		1. ad mamm.
Parulis			1.	
Indurationes		1. mammae. 1. vesic. urin.		
Ulcera	1. pedum. 1. a gel. c. febr. int. tert. 1. arthritica.	4. pedum. 1. ped. varicos.		
Aegilops		1.		
Distorsio	1. pedis.	1. pedis.	1. humeri.	

VIII. Morbi ad chirurg. pertinentes.	Viri.	Mulieres.	Vsque ad X annum Pueri.	Puellae.
Luxatio	1. humeri sinistr. c. contus. lumbor.			
Cyphosis		1. c. catarrh. suffocativ.		1.
Scoliosis		1.		
Herniae	1. scrotalis.	1. umbilicalis. 1. inguinalis.		
Prolapsus ani			1.	
Ectropium		1. oculi dextr.		
Fractura	1. patellae a lapsu ex curru.			
Abortus		1. (mola.)		
	143.	225.	147.	138.
Summa omn.	653.			
Mortui sunt	1. delir. trem. 1. rheum. ves. c. mar. senili. 2. phthisi ulc. 1. phthis. ulc. (sectio.) 1. phth. pituit. 1. phth. laryng. (sectio.) 1. hydr. asc. 2. hydr. pect. 1. apopl. sang. 1. apopl. sang. (iamiam cum receptus sit, mortuus. sectio.)	1. febr. nerv. 1. febr. rheum. cat. c. statu nervos. 1. phthisi. 1. delir. trem. 1. pneum. negl. 1. hydropes (c. recepta sit, mortua.) 1. phthis. cum pleur. spuria. 1. phth. e vom. 1. arthrit. acuta (sectio.) 1. card. varic. c. phthisi. 1. menostas. 1. epilepsia.	1. diarrh. cum atroph. 3. hydroc. acut. 1. hydr. chron. (sectio) cum steat. cerebr. 1. atrophia c. diarrh. (sectio.) 1. spasmis (subit. mortuus.) 1. hydr. anas. ex scarlatina (sectio.) 1. atrophia c. hydroc. et tinea.	1. catarrh. suff. a negl. pleur. 2. catarrh. suff. 1. spasmis. 2. hydr. chron. 1. hydr. chron. (sectio.) 3 phthisi. 1. dentit. diffic. c. aff. pect. 1. affect. cereb. c. dentit. diffic. (sectio.) 1. canc. aquat. 3. atrophia. 1 atroph. (sect.) 1. tuss. conv. 1. scab. retrop. (sectio.)
	12.	12.	9.	19.
Summa	52.			

	Viri.	Mulieres.	Vsque ad X annum Pueri.	Vsque ad X annum Puellae.
Exc. D. Ritterichio tradita				1. ophthalm. scroph.
				1.
Chirurgo Dom. Jvngkio traditi	1. ulcera ped. sinistr. 1. contus. brachii. 1. contus. ped.	1. vuln. ad dig. 1. tumor pedis. 1. contors. ped. 1. ulc. pedis. 1. hernia ing.	1. affect. genu a lapsu. 1. vuln. manus. 1. contors. ped. 1 contors. hum.	1. contus. manus.
	3.	5.	4.	1.
Nosocomio sunt traditi . . .	1. delir. trem. 1. stat. gastr. 1. phthisis. 1. mar. senil. 1 enures. cong. 1. infl. manus. 1. hernia scr.	1. catarrhal. pulm. chron. 1. rh. ac. capit. 1. phthis. pit. 1. hydrops. 1. ulc. pedum. 1. abortus.		1. tin. capitis.
	7.	6.		1.
Summa Mortui	52.			
Aliis institutis traditi sunt .	28.			
A schola Policlin. sanati sunt	573.			

SECTIO III.

QVAEDAM DE SINGVLIS MORBIS.

Febres intermittentes in suburbio Ioanneo fere endemicae sunt, etsi enim in aliis quoque urbis partibus aquarum vicinis passim occurrant, illic tamen cum ob situm loci magis declivem, tum, quia cloacae, quibus aquae stagnantes in fossam apertam, quae moenia cingit, derivari possunt, nullae sunt, praecipue grassantur. Vtilissimum igitur foret, si stagna ista per fossas ibi ductas exsiccarentur. Namque fit ex hac causa, ut vix ullum anni tempus, nisi forte pluviosum ac nebulosum, istis febribus vacet. Quaerentes, cur tempore pluvioso excludantur, ad experientiam delegamus. Aegroti frequenter in typum quartanum, duplicem et duplicatum incidunt, affectionibus capitis gravioribus, aliisque morbis stipatum. Nobis *chininum sulphuricum*, largius solito, et in tempore adhibibitum ne febris organismo pertinaciter inhaeresceret, ac diuturnior redderetur, per omnia spectatum fuit remedium. Idem valet de *chinino muriatico*, eoque magis, quod commodius ventriculo, neque gastrico statui videtur esse infensum.

Febres nervosae ut plurimum secundariae a rheumatica-catarrhali aut gastrico morbo pendentes, vere inprimis et aestate grassantur. Laxum corpus, maleque nutritum incolas commemorati suburbii huic tam frequenti metaschematismo et statui putrido originem dare, atque aegrotos ad mortem rapere credo. Simplicissima medendi methodus tempestive adhibita, nisi constitutio aegroti

pessima spem omnem auferat, hic summopere commendanda est. Quo enim minus naturae opus arte perturbatur, quo blandioribus remediis malum oppugnatur, eo facilius tutiusque aegrotis sanitas restituitur. Sola igitur *emulsione* in tali casu felici cum successu usi sumus. Tametsi alia quoque, iuxta ac si Brussai scholam sequeremur, flocci fecimus medicamenta, tamen non possumus, quin experientia ducti, cum Hufelandio, celeberrimo medico, *irritantia* remedia *nervina* vituperemus ac contendamus magis nocere ea, quam prodesse, multoque citius febrem nervosam sic dictam artificialem arcessere. Et hoc verum est, si membranae mucosae intestinorum irritationem, ne dicam inflammationem, morbi initium habemus, prosperum febris exitum saepenumero ab illa methodo pendere.

Febrium gastricae, *biliosae* et *pituitosae*, a praxi nostra neutiquam alienarum, causam in victu inepto et valetudini parum adcommodato, proinde ac in coeli asperitate et inconstantia quaerere debemus. Ad sordes, quae in his morbis ventriculum et intestina onerant, movendas et nervos roborandos a nobis celebratur *emeticum*, cuius quidem maturi et iterati usum medici hodie negligere videntur.

Inflammationum, utplurimum rheumaticarum eo maior est frequentia, quo magis incolae omnis aetatis lectulorum ac vestimentorum inopia, nec non cubiculorum levitate premuntur. His, ne pneumonia quidem excepta, simplicem methodum antiphlogisticam opposuimus; in bronchitide infantum tamen *tartaro emetico* usi sumus. Maxime laudamus hoc remedium ad gr. j — jj in forma linctus adhibitum. (vid. Linct. stibiat. pharm. paup. ab Excell. D. Cerutti edit.) Iis vero medicis, qui, ut interdum fieri solet, timent, ne vomitum excitet, asseveramus, aegrotos, quibus hoc remedium dedimus, non vomuisse; imoque sine hirudinibus convaluisse.

Rheumatismus et *arthritis* longe omnium frequentissimi ac molestissimi morbi eidem causae, qua inflammationem generari a me dictum est, originem debent. Rheumatismus quidem, tam acutus quam chronicus, utrumque sexum aequali modo afficit, ac nulli aetati parcit; arthritis vero, plerumque chronica, sequiorem magis sexum, vetulas, lotricesque molestat. Hi morbi cum facile sedem suam mutent, atque in viscera, quorum incolumitas ad vitam conservandam prae ceteris est necessaria, se coniiciant, laxis corporibus et exhaustis, quippe quibus pertinaciter inhaerent, admodum sunt periculosi, nec raro paralyseos, imo mortis causae fiunt. Non fraudandum esse credo sua virtute *vinum seminum colchici* ad X gtt. usq. ad XXX adauctum. Quod remedium quamvis libere fatear curationem non effecisse perfectam, ac tempori quaestionis solutionem, quale sit arthritidis specificum habendum, relinquendam esse, sufficit tamen, illud quibusdam aegrotis prae reliquis omnibus medicamentis maiorem utilitatem attulisse. *Rhododendrum* etiam, ut nihil a nobis intentatum relinqueretur, identidem, sed sine successu adhibitum est.

Hoc loco exemplum feminae vicenariae mihi liceat commemorare, cui nimirum chronica gonagra laboranti, cum incassum consuetis usi essemus externis et internis remediis, atque crescente pedis tumore musculi iam motum amisissent, haec solutio praeclare opitulata est:

R. Fol. sabinae ℥ß.
fac. decoct. ℥vj.
adde
Merc. subl. corros. ℈j.
Salis ammon. dep. ʒvj.
MDS. Bis de die dimidiam partem pro balneo.

His factum est, ut breviori, quam sperandum fuerat, tempore, pedis genuque intumescentia decrescente, redierit membri motus,

ac aegrota si malum tam inveteratum respexeris, bene sese habuerit.

Delirii trementis potatorum iam supra mentio facta est, cuius quidem morbi frequentia, ob abusum spiritus adusti, cui pauperes plerique iam a pueris indulgendo haud leve detrimentum sanitati inferunt, nulli potest admirationem excitare. Quae consuetudo pessima ac perniciosissima nescio an ab iis, qui publicae saluti conservandae praefecti sunt, lege eum in finem promulganda coërceri possit. Quamquam hic meum non sit examinare utrum iste tantum spiritus adustus, quem e solano tuberoso destillatione paramus, ob oleum sic dictum graveolens, quod continet, an nimis largus eius usus, vel aliud quid tantopore noceat sanitati, haec tamen res valde nobis suspecta est, cum morbi supra commemorati frequentia fere in dies crescat. Id autem videtur constare, potum istum, cum nostros neutiquam humores diluat, sed solida contrahat, rigefaciat atque, quod maxime de nervis valet, torpida ac immobilia reddat, atque iam a pueritia inde vires corporis enervat, multorum morborum esse fontem. Ita quidem scirrhosae viscerum indurationes, nec non plethora universalis ac permultae cachexiae, tabes, hydrops, sensuum vigor fractus, vertigo, tremor artuum, apoplexia e. s. p. ei tribui debent. Quae mala, nescio an cerevisiae amarae ac sincerae potum spiritui vini substituendo averti possint? Quid enim curatio, quid remedia, nisi causae amoveantur? In delirium tremens viri e plebe crebro incidunt, raro feminae, quippe abstinentiores, et raro ebrietati deditae. Facile, qui prima vice hoc morbo corripiuntur, convalescunt; item secundus mali impetus, tertius vero ob apoplexiam supervenientem, vix superatur. Inter remedia ad morbum coërcendum proposita tenent acida, (acid. vitr. dilut.) cum saepe sola suffecerint, principatum; interdum tamen bonum est, venam aperire vel hirudines capiti applicare. Quibus

factis, ut ebriosus ad se redeat et reliquiae morbi (nervorum affectio) superentur, *opium*, hic praestantissimum, et tutissimum remedium, aegroto propinandum est. Sumto enim omni bihorio eius grano dimidio, aegroti, profundo somno, qui diem interdum excedit, obruti, sui compotes, atque hilares evigilant.

Hydrops abdominis, thoracis, atque plerumque chronicus cum consueto morbi universalis exitu nobis fuit curandus. Cunctis propemodum, si eximiam *digitalis* in hydrothorace, atque *paracenteseos* in hydrope ascite virtutem excipias, sine fructu aliquo usi sumus remediis. Ac si quid in ascite acuto et hydrope anasarca praestitimus, id etiam cremori tartari solubili in forma potionis Menghini, tribui debet:

R. Crem. tart. solubl. ℥j.
Aq. menth. pip. ℥vjjj.
Oxym. squillit. ℥j.
MDS. Omni bih. cochl. duo.

In hydrope chronico autem, totius organismi atonia stipato, *colocynthidum pulpa*, (Decoct. pulp. colocynthid. ℈ß — j. ad ℥jv. — vj.) nec minus *pyrola umbellata**) a discipulis policlinicis per plures annos adhibita, (Decoct. fol. pyrolae ex ℥ß — j. ad colat. ℥vj. — vjjj.) multis profuit. Hic exemplum feminae LXVIII annos natae liceat proferre, quae e chronica hepatis inflammatione inciderat in asciten et hydropem anasarca. Paracentesis, etsi ab aegrota non repudiata, quoniam abdomen multa aqua distentum adeo sensibile fuit, ut vix digitum admotum ferre posset, institui non potuit. Quae vero modo indicato effici haud poterant, ea tandem *mercu-*

---

*) Cum his compares, quae Exper. D. Radius de pyrola Spec. II medium 1829 dixit, cuius remedii insignem virtutem duae observationes, secunda scilicet et septima a nostro policlinico suppeditatae, demonstrant.

rius dulcis ad gr. vj. — vjjj., omni quadrihorio aegrotae datus, feliciter aeque ac mirifice ita effecit, ut abdomen iamiam secundo die per enormem urinae secretionem liberaretur, neque morbus ad hunc diem, quamquam annus ex illo tempore praeterlapsus est, rediret. Mirati praeterea sumus, hanc vetulam, quae nunc optime valet, dum mercurio utebatur dulci, non nisi exiguum ptyalismum perpessam esse.

In seri quoque praesentiam et in urinae coagulationem, qualem in iis, qui hydropicis renum vitiis laborant, deprehendi BLACKALLIVS, WELLSIVS, BRIGHTIVS, aliique Angli docent, diligenter inquisivimus*).

Inter septem autem hydropicos, quorum urinam quotidie propemodum cochlearii ope igni exposuimus, femina solum quadragenaria, hydrope anasarca et ascite laborans, et puer sex annorum, qui e scarlatina in hydropem anasarca incideret, tale quid reperimus. Feminae urina ita explorata, initio cremoris lactis, serius autem seri magis formam et naturam assumsit, quod nos ab initio, ut *cremore tart. solubl.* dein vero, morbo decrescente, tonicis remediis, *china* inprimis ac *gentiana*, uteremur, impulit. Puer autem, cum atrophicus simul esset, obiit paulo post receptionem.

In hoc aegroto opinio Brightii per sectionem renum, qui naturali rubicundiores, ac sanguine turgidi inflammationem in ipsis praegressam prodere videbantur, confirmata est. Vrinam enim aliam

---

*) *BLACKALL: Bemerkungen über das Wesen und die Heilung der Wassersuchten, und vorzügl. über die Gegenwart von gerinnbarer Lymphe des Blutes im Urin der Wassersüchtigen* etc. *aus d. Engl. v. P. D. RADIVS* 1821. (supplementa huic versioni addita WELLSII observationes continent). *AYRE: Ueber das Wesen und die Behandlung der Wassersucht* etc. *aus dem Engl. v. REINHARD* 1829. (auctor hic atque BRIGHTIVS primi fuerunt, qui BLACKALLII ac WELLSII theoriam de hydropicorum pathologia et curatione, eorumque urina examinanda ad lectulos aegrotorum adtulerunt). BRIGHT. Reports of medical cases etc. 1827.

esse, atque haud coagulatam, quando renes cum hydrope nullam habent societatem, ille medicus docet. Quidquid autem in urina illius feminae, quam paulo ante drasticam curationem superasse narravi, et reliquorum hydropicorum repertum est, nullum coaguli vestigium exhibuit.

Commemorabo praeterea periodici hydropis exemplum, quo vir quadraginta annorum, athletici fere corporis, laborabat. In hoc aegroto urina, licet a morbo viscerum abdominalium obstructiones producta e fuerint, omnino sincera, et praeter expectationem nostram pellucida erat.

Quum sit aegrotus tabernarum custos, hydrops singulis nundinis refrigerio admisso successit, ut ne prophylactica quidem methodus aliquid expediret.

Phthisis pulmonalis ob incolarum nostri suburbii conditionem quis dubitet quin molestissimus et frequentissimus sit morbus? Huic triplicem curationem adhibuimus, namque et inflammationi occultae, hecticam febrem comitem habenti, et tussi molestissimae et virium lapsui obviam eundum erat. Quem quidem triplicem finem ut assequeremur, cum venas ob debilitatem aegrotorum aperire haud consultum esset, crebro *hirudinibus*, partim *vesicatoriis*, et *fonticulis*, vel *emplastro* et *unguento stibiato*, ad tussin vero leniendam viresque reficiendas mucilaginosis et nutrientibus remediis c. *aqua laurocerasi* et *tartaro emetico* non sine emolumento usi sumus. Neque vero cetera, quae contra phthisin commendata sunt, remedia neglexinius, libere autem confitemur, medicamenta, pulmones nimis irritantia, vel secretionem cohibentia, parum nobis placuisse. Si qua tamen spes erat, eam certe in ea phthiseos specie, quam mucosam vocant, vel in primis morbi stadiis alere licebat. Quid enim, ubi morbus iam eo progressus est, ut diarrhoea et sudores profusi aegrotum conficiant, sive a medicamentis sive a diaeta ex-

pectari poterit*)? hic vitam saltem trahere et morbi asperitatem lenire curavimus.

Scrophularum et atrophiae infantum, de quibus nunc agam, frequentia tanta est, ut fere nullus infans ab his morbis, ac praecipue a constitutione scrophulosa, quam vocant, plane liber reperiatur. Atrophici autem infantes, et inprimis recens nati raro sanantur, cum et paupertas parentum et educatio et victus obstent. Recentiori tamen tempore mortalitas, ab istis causis pendens, multum imminuta est.

Etenim si uspiam, hic certissime civium Lipsiensium praeclara eminet humanitas, et liberalitas, quippe cum nobilium virorum ac matronarum societas, ad levandas tenerae sobolis miserias inita, curet, ut infantes illegitimo coniugio procreati feminis, eum in finem conductis, alendi educandique tradantur. Huic benevolo instituto nunc multi, qui cura parentum destituti et in sordium squalore quodammodo sepulti periissent, vitam et incolumitatem, patria autem totidem cives debent, quod verissimum esse e mortuorum indicibus, qui ex longo inde tempore eduntur, satis adparet. Cum enim olim inter tempus definitum e quinis terni morirentur, nunc per idem temporis spatium multo pauciores obeunt. Ita a mense Octobre 1829 ad Decembrem usque 1830 ex XXVIII. eiusmodi infantibus (VII. pueris, puellis XXI.) quartum aetatis annum nondum egressis, partim ophthalmia vel glandularum tumoribus, impetigine scrophulosa, partim tussi ac dentitione difficili, partim spasmis aut atrophia laborantibus, quatuor tantum puellae (alia XIV. hebdomades nata spasmis, alia unum annum agens hydrocephalo chronico, duae, quarum una IX. septimanas, altera duodevi-

*) Compares haec cum iis, quae D. Riffelivs, olim instituti policlinici socius, in dissertatione sua inaugurali: *de phthisi* 1828. protulit.

ginti menses natae erant, atrophia obierunt. Inter remedia, in variis scrophularum formis a medicis celebrata, quorum nullum non experti sumus, ea tantum commemorabimus, quae sanationem perfectam effecisse vidimus. Ac primum quidem *pulvis antiscrophulosus Gölisii*, nonnunquam cum *aethiope minerali* et *antimoniali*, et si corpus nutriendum ac viribus prospiciendum erat, cum *balneis* e *lacte* vel ex *calamo aromatico*, vel e *malto* paratis, coniunctus multis egregie profuit. Balneorum mirifica profecto erat efficacitas, utpote quae, calamo aromatico vel alio aromate ipsis admixto, vires maxime prostratas reficiebant, atque haud paucis vitam, cuius conservandae fere nulla spes relicta erat, restituebant. Idem valet de *aqua oxymuriatica*, quam secundum Ph. Borussicam ratione sequente adhibuimus:

R. Aq. oxymuriat. ℥ß — j.
— destillat. ℥jj — jv.
Syrup. althaeae ℥j.
DS. Omni bihorio cochl. min.

Parem laudem *tincturae jodinae* tribuimus:

R. Tinct. jodinae ℈ß — j — ʒß.
Aq. cort. aurant. ℥j — jj.
DS. Bis vel ter de die cochl. min.

Cum hoc remedio, morbi ratione ac natura haud obstante, *unguentum hydro-jodinicum* utiliter coniunximus:

R. Kali hydro-jodinici ℈ß — j.
Unguent. rosati ℥ß.
f. unguentum. DS. Bis quotidie ad magnitudinem nucis avellanae infricandum.

Neque nocuit jodinae usus digestioni, namque si nostram experientiam sequimur, tantum abfuit, ut ventriculum oneraret, ut bene adeo ab eo ferri videretur.

Item *kali caustici* mentio facienda est, quod in scrophulis atque malignis cum illitum corpori tum ventriculo receptum, egregium est remedium.

Ad usum internum: R. Kali caustici ℈ß.
Aq. cort. aurant. ℥j.
MDS. Bis de die x usque ad xxgtt.
in decocto avenae sumendum.

Ad usum externum: R. Kali caustici ʒß.
solve in
Aq. font. ℥vj.
MDS. ad fomentationes.

Eo enim adhibito brevi ulcerum superficies emendata, natura ipsorum melior reddita est, nec multo post aegroti convaluerunt.

Tineam et faciei et capitis a communi plerumque causa, scrophulis, repetendam eidemque propemodum curationi cedentem, nolo quidem seorsum adferre, sed tamen, hac occasione oblata mirificam *unguenti oxymuriatici* vim, qua et malignissimam, pertinacissimamque tineam vicimus, silentio nequeo praeterire, quod hoc modo paratur:

R. Liq. calc. oxy-muriatici ℥ß.
Ol. oliv. ℥j.
S. Bis de die caput fricandum*).

Quod spectat ad *vermes*, ascarides vermiculares et lumbricoides saepe expulimus, taeniam autem ut removeremus, nobis minus contigit. Quanta vero interdum vermium multitudo infantum intestina repleat, puella quinque annorum nobis monstravit, quae, cum taeniae adesset suspicio, decocto corticis geoffreae surinamensis usa, XXIX. ascarides lumbricos una eademque evacuatione eiecit. A

---

*) Has formulas ex parte reperies in Pharmac. paup. iam supra a me citata.

pari lumbricorum quantitate puer VIII. annos natus, olei filicis aetherei ad gtt XV. p. d. usu, cum in hoc etiam taeniae praesentia timeretur, liberatus est. Ceterum ascarides praecipue *electuario* vel *pulveri anthelminthico Störckiano* cesserunt, contra taeniam vero *radicem filicis maris*, vel *punicae granati* et corticem *Geoffreae Surinamensis*, et veterum medicorum specifica frustra adhibuimus. Haud magis profuit *methodus Wawruckiana* in femina quadam, omnia, quae curatio postulabat, rite faciente, etiamsi hic praesentia taeniae, quippe cuius frusta iam eiecta fuerant, dubia esse non posset. De meliore tamen successu in puero XI. annorum gavisi sumus, qui a taenia penitus liberatus est his pilulis:

R. Terebinth. Venet. ℥j.
Sapon. ialapp. ʒß.
Extr. hyosc. nigr. gr. jv.
Merc. dulc. gr. vjjj.

f. pil. gr. jj. Consperg. lycopod. DS. omni trihor. pil. IV.

Plures post dies continuato pilularum usui taenia tandem lata cessit. Vt methodum Peschieri quoque sequeremur, tribus adultis *oleum filicis aetherei* suppeditavimus, quo, ut solet fieri, singulae tantum taeniae partes expulsae sunt. Magis fortasse remedia iis aegrotis conductura sint, qui diaetam accuratam ac strenuam sequi velint.

Cum vero suburbii Ioannei incolae assidua helminthiasi vexentur, et aqua, quam bibunt, vermibus augendis inservire videatur, puteos examinavimus. Ex aegrotis XVIII (adultis III, pueris VII, puellis XI.) inter quos VI taenia affecti (feminae III, puer I, puellae II) undecim puteo No. III prope domum No. 1395, duo No. V, quinque No. IV. ad aream campanariam (*Glockengiesserplatz*) usi sunt. Attamen puteum No. III, cuius aqua licet quinque aegrotorum taenia laborantium usi fuerint, non solum vulgo constat, sed analysi chemica confirmatum est (vid. analys. harum aquarum.) optimam sa-

pidissimamque aquam suppeditare, pessimam contra puteo No. I ad domus septem sic dictas, nec ad bibendum, nec ad coquendum idoneam hauriri. Quam ob rem ei haud longo abhinc tempore Magistratus novum puteum (No. IV) eumque meliorem et sanitati magis conducentem substituendum curavit. Quaecunque sit causa helminthiasis, hoc saltem videtur certum esse, eam minus ab aquarum, quam reliquorum nutrimentorum natura ac vitae ratione pendere.

SECTIO IV.

OBSERVATIONES IN CADAVERIBVS FACTAS CONTINENS.

Inter cadaverum sectiones a discipulis policlinicis institutas, quae huc spectent, limites opusculi mei praescriptos transgrediar, ne lectoribus taedio sim, notatu tantum dignissimas deligam.

SECTIO I. *pueri* (Dreher), sex annos nati, qui longum per tempus hydrocephalo chronico laboraverat. Cranio, cuius diameter transversa multo longior iusto, ossa spongiosa multaque diploë referta erant, aperto, dura mater posteriora versus cum ossibus firmiter cohaerere adparuit. Remota calva parum aquae profluxit. Piae matris vasa atro sanguine admodum distenta. Cerebri substantia mollissima. Ventriculi laterales valde dilatati, cornua eorum anteriora duplo, posteriora et descendentia quadruplo naturali ampliora, aquae limpidae unciis sex circiter referta. Venae corporis striati et plexuum choroidum sanguine fere destitutae, alboque colore conspicuae, plexus choroides laterales in massam caseosam mutati. Omnes propemodum cerebri ac cerebelli partes, ne nervo

optico quidem et olfactorio gangliisque exceptis, in fluidum spissum viridescens, caseosum ac puri haud absimile mutatae erant. E superiore spinae vertebralis parte, corpore inverso, aqua limpida prosiluit. Medulla oblongata mollissima et fere sub digito diffluens. Osseum nervorum opticorum involucrum, sella turcica, nec non processus basilaris ossis occipitalis ita carie destructa, ut sine instrumentis aperiri possent. Lamina cribrosa facile digito in nasum depressa est. In *collo*, cuius musculi omnes erant mollissimi prope laryngem, magnus tumor albo-cinereus, caput brassicae oleraceae botryoidis aequans, adparuit, qui, dissectus, massam caseosam ac foetentem exhibuit. Glandula thyreoides defuit. *Pulmones* sani, in apice tumores flavo-albos, massa caseosa refertos, obtulerunt. *Cor* naturale; in aortae initio autem polypi mucosi reperti sunt parvi. Arteria subclavia sinistra ab initio in massam caseosam mutata et obliterata. Oesophagi membrana interna ultra modum crassa, et in medio obsita tumore caseoso. Nervus vagus sinister mollis et facillime sub manu diffluens. *Organa abdominalia*, quoad situm et texturam normalia, cardia tamen fere scirrhosa, tunicae ventriculi emollitae, et glandulae mesentericae, quarum tres magnitudine ovum gallinaceum aequabant, et massam flavo-cineream continebant, induratae erant. Ductus thoracici nimis ampli tunicae ultra modum crassae, lympha spissa et degenerata impletus apparuit; etiam eo loco, ubi is sub angulo, a vena iugulari sinistra interna et vena subclavia eiusdem lateris formato evanescit, illi magnus tumor flavo-albus adhaerebat. Nervi sympathici ganglia thoracica inferiora in massam caseosam mutata; ganglion solare nigro fere colore et molissimum erat.

Sectio II. In alio puero (Büchner), quatuor annos nato, qui per annum integrum hydrocephalo laboraverat, inventa sunt haec: Cranii suturae concretae; dura mater cum ossibus cohaerens, qua

dissecta e ventriculis sat magna copia aquae ℥jj sanguine tinctae effluxit. Vasa cerebri vix turgebant. Cerebelli lobus superior mollissimus, ne dicam purulentus; in parte cerebelli posteriore fovea excsa, quod sphacelismum cerebri appellant veteres, reperta est. Lobi sinistri inferiorem partem dura substantia ovum gallinaceum magnitudine aequans occupabat. Propterea totum cerebellum ad tuberculosae substantiae naturam accedebat. *Pulmones* partim cum pleura partim cum diaphragmate concreti, tubercula et cruda et exulcerata exhibebant; idem in glandulis meseraicis observatum est.

Sectio III. puellae (Strohbachin) unius anni, quae tussi convulsiva ac vehementissima quidem affecta fuerat, haec patefecit. Dura mater admodum densa et crassa ossibus cranii firmiter adhaerebat; cerebri color ac consistentia omnino normales. Cerebellum autem sub cultro diffluebat quasi. Omnia vasa inprimis ventriculorum cruore aquoso scatebant; in ventriculo tertio massa gelatinosa reperta est. Neurolemma, nec non substantia nervosa ipsa cultro aliquantulum resistebat, tanquam charta pergamena. *Pulmones*, quorum dexter sinistro maior, et cum pleura costali firmiter cohaerens, magis retrorsum positus erat, sanguine fere destituti, pallidissimi apparuerunt. Inter pericardium et cor, quod etsi bene nutritum, tamen pallebat, collectionem aquosam haud exiguam deteximus. Musculi abdominales flaccidi, tenues, nec non pallidi. Ventriculus iusto maior; intestina vacua atque aëre repleta. Reliqua organa abdominalia, excepto hepate nimis magno, sana quidem, verum itidem pallida erant.

Sectio IV. feminae (Rosskopf), 54 annos natae, cuius morbus arthritidis acutissimae symptomata nobis exhibuerat. *Pulmones* passim tantum cum pleura connatos deprehendimus. Superiores utriusque pulmonis lobi cum pleura arctissime cohaerebant, ut parenchyma molissimum, quin rumperetur, seiungi non posset.

Pericardium tres circiter uncias aquae limpidae continebat. Superficies externa ventriculi cordis dextri multa adipe obtecta, sinistri venis turgidis conspicua, utriusque autem sanguis plus minusve coagulatus. Atrium dextrum aeque ac sinistrum polypi mollioris consistentiae, quorum alter longas radices in venam cavam, alter in aortam agebat, occupabant. Ceterum inflammationem vehementissimam praegressam tum atrium dextrum cum ventriculo dextro, tum interna venae cavae superficies, quousque eam persecuti sumus, colore suo rubicundo, fere roseo, satis testabantur. *Hepatis* magnitudo, inprimis lobi sinistri, enormis, ut totum obtegeret ventriculum, imo lienem attingeret. Eius substantia firmior naturali et compactior erat, lobusque sinister et dexter, qui lienem tangebat, rubri et inflammati. *Vesica fellea* bile valde distenta, calculum, nucem avellanam magnitudine aequantem, continebat. Pariter ductus biliferi et choledochus admodum erant extenti. *Lienis* magnitudo iusta, substantia vero eius molissima, dissecta sanguinem atrum effudit.

Sectio V. puellae (Roose), duodeviginti menses natae, quae cerebri affectione e scabie retropulsa laboraverat. Dura mater lateris sinistri ossibus cranii firmiter adhaerebat. Cerebrum ipsum quasi inflatum et nimis compactum, eiusque vasa valde turgentia, omnes ventriculi multo humore aquoso erant repleti et dilatati; plexus choroides collapsi ac pallidi. *E pericardio* duae circiter unciae humoris aquosi effluxerunt. Reliqua viscera sana.

Sectio VI. pueri (Paul), undecim septimanas nati, qui omnibus atrophiae signis laborans, subito spasmis extinctus erat. *Cerebrum* molle invenimus, venasque admodum turgentes; nervos solito duriores, praesertim nervum oculomotorium, et par quartum et quintum. In intestino ileo locus coloris caerulei nobis obvenit,

et magnitudinis numi parvi. Omnia organa plus minusve sanguine destituta.

Sectio VII. feminae (Hoffmann), 33 annos natae, et phthisi tuberculosa mortuae. Ad pulmones a pleura costali et ab ea eiusdem parte, quae diaphragmati adhaeret, separanda vi opus fuit haud exigua; ii nodulis duris ubique referti, hepatis compaginem exhibebant, cumque dissecti essent, spuma cruenta effusa est. Venae pulmonales varicosae, imo quaedam cartilaginosae. Interstitium inter cor et pericardium aquosa colluvie flavo-rubra (℥vjjj circiter) scatebat. *Cor* ipsum, cuius ventriculi dextri parietes duplicem crassitiem chartae lusoriae adaequabant, laxum in universum ac tenue conspicuum erat. *Intestina* ita mutaverant situm, ut colon transversum sub et post symphysin ossium pubis positum esset. *Hepatis* ambitus iusto maior. *Vesica fellea*, bile spissa omnino turgens, ubi in ductum cysticum transibat, spasmodice contracta erat. *Lienis* magnitudo naturali maior, hepatis consistentiae ac colori non absimilis. *Ventriculus* pallido colore atque distentus multas rugas in curvatura sua minori, satis duras exhibuit. Reliqua intestina, praeter ileum solito rubicundius, sana visa sunt.